

Heinrich Rahn Hermann Mahner


## **Disputatio Iuridica De Transactionibus**

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766442314>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.  
Z 16.7

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18



DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
TRANSACTIONIBVS,

*Quam*

D. T. O. M. A

Authoritate & consensu Magnifici ac Amplissimi Senatus Juridici in celeberrima ad Varnum Academia-

SUB PRÆSIDIO

*Amplissimi & Consultissimi Viri,*

Dn HENRICI RASHNER, J. U. D.

& Professoris Publici, Præceptoris ac fautoris  
sui ætatem honorandi

*Publico examini subijcit*

HERMANNUS RASHNER/  
Brunsvicensis.

*In Auditorio Majori horis consuetis ad  
diem 2. April.*

✂ (o) ✂

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

ANNO M. DC. XLII.





I. N. J.  
T H E S I S I.



Uoniam nemo res intelligit, nisi prius verba cognoverit, sunt enim verba instrumenta quibus res significantur, à nominis notatione auspiciabimur; Quin autem Transactio à trans & actio, Transigere à trans & agere dicatur, dubium nullum est. *Wes. in par. ff. h. r. n. 2.*

II. Ne etiam ex ambiguitate error, cujus genitrix æquivocatio esse solet, oriatur, liberandum ab ea erit verbum Transigere, quod in usu Juris sumitur dupliciter (1.) Generaliter & significat finire, decidere, componere negotium aliquod *L. arbitrio Judicis 18. §. 4. de dol. mal. l. Eius rei 46. de rei Vindic. l. tres fratres 35. inf. de Pact.* (2.) Specialiter & propriè, significatq; rem dubiam & litigiosam componere *l. i. h. r. & passim* quæ significatio est hujus loci. Vocabulum autem Transactionis semper in Jure usurpatur pro decisione rei dubiæ & litigiosæ.

III. Hoc quo diximus sensu commodè definitur Transactio, quod sit rei dubiæ, & litis incertæ, neq; finitæ, aliquo dato vel retento vel promisso, conventa decisio. *d. l. i. h. r. & l. transactio 38. C. Eod.*

IV. Generis loco in definitione ponitur conventa decisio, uterq; enim transigentium in ambiguiæ rei decisionem consentire, debet. Plura aliàs solent assignari genera, ut Distractus, Contractus, Pactum, minus tamen commodè. Distractus non est, quia à forma æstimandum est, quamvis aliàs impropriè & à fine possit dici distractus. Nec Contractus prop. & absolute loquendo transactio est, sed potius actus, actus autem & contractus differunt *l. Labco 19. de V. S.* Præterea etiam Contractus non semper potest prædicari de transactione *l. transact. 2. l. quicum tutor. 9. §. 2. h. t. l. ut respons. 15. l. cum proponas 17. C. Eod.* Constat etiam quod quædam transactio non producat actionem, cum tamen ex omni contractu oriatur.

A actio

actio *l. cum proponas. 21. C. de Pact. l. si major 36. C. de transact.*  
Tandem nec Pactum, quoniam nec illud perpetuo inest transactio-  
ni, transactio enim interdum est contractus. Præterea etiam cau-  
sa non potest esse genus sui effectus, transactio autem fit pacto aut  
contractu *uti rh. 9. & seqq. dicitur.*

V. Reliqua verba definitionis continent differentiam specifi-  
cam, qua differt à pactis, rebus judicatis & Jurejurando. Nam  
transactio semper fit de re dubia & litigiosa, pactum autem regu-  
lariter de re certa & indubitata *l. 1. h. t.* Quoniam autem & pactum  
interdum potest fieri de rebus dubiis & litigiosis *l. transigere 18 C. h. t.*  
eo maximè differunt, quod pactum fiat gratis transactio autem non  
nisi aliquo dato vel retento vel promisso *l. transactio 38. C. h. t.* Jus-  
jura ndum definit negotium per invocationem nominis divini. Res  
judicata autem per sententiam.

VI. Explicatà sic satis definitione, ad Divisionem transeamus.  
Dividitur autem transactio in Generalem & Specialem, utraq; ite-  
rum in Juratam & Injuratam *l. si quis major 41 & l. seq. C. h. t.*

VII. Generalis est quando infinite de omnire dubia, sine ulla  
rerum notatione, vel finite, de re quidem certa transigitur, sed tali  
quæ multa corpora seu Jura, multas species multasve partes com-  
plectitur, ut est hereditas, negotiorum administratio, Tutela *l. cum te  
proponas 2. & seq. l. 29. C. h. t. l. qui cum tutorib. 9. in pr. ff. Eod.*

IX. Specialis est quando de re certa & singulari vel pluribus spe-  
cialiter enumeratis remittitur *d. l. 3. & l. si de certa 31. C. h.*

IX. Porro omnis transactio, tam Generalis quam Specialis, fit  
aut Pacto aut Contractu. Pacto, si actio remittitur nudo pacto &  
pro remissione pacto citra stipulationem aliquid promittitur, vul-  
go simplex vocatur *l. transact. 2. ff. h. t. l. ut respons. 15. l. cum proponas  
17. l. sive apud 28. C. Eod.*

X. Contractu, tam Nominato quam Innominato. Nomina-  
to, cum interveniente stipulatione pro litis remissione aliquid pro-  
mittitur *l. cum mota 6. l. si pro fundo 33. C. h. t.*

XI. Innominato, cum aliquid fit aut datur ut à lite discedatur,  
*d. l. 3. & l. 33. junctâ l. age cum 3. C. de transactionib.*

XII. Causa Efficiens Transactionis alia est Remota, alia Proxi-  
ma sive

ma sive Propinqua. Remota quò ad formam substantialem est Jus Gentium, quò ad Accidentalem Jus Civile, quò eam confirmavit.

XIII. Propinqua est Consensus, qui requirit Intellectum & Voluntatem *l. interpositas 13. l. non minorem 20. C. h. t.* Transigere hinc possunt omnes qui non prohibentur, est enim de genere permissorum. Quicumq; igitur non prohibentur transigere illis ea facultas debet videri permilla *arg. l. Cum Prætor. 12. in pr. de Judic. l. musus & surdus 43. §. 1. de Procur. l. nec non 28. §. 2. Ex quib. causis maj. l. rēsimonior. 1. §. 1. de testib.*

XIV. Prohibentur autem quidam Naturâ, quidam Lege, requiritur enim ad transactionem aliquid à Natura ut consensus, aliquid verò à Lege, ut lege non impediri. Naturâ ergo prohibentur, qui consensum adhibere non possunt: ut mente capti *l. sanum 27. C. h. t.* furiosi qui perpetuum habent furorem *l. 2. C. de contr. Empt. l. in negotiis. de Reg. J. §. furiosus 8. J. de Inutil. stip.* Infantes, destituuntur enim facultate intelligibili *l. mulier 70. d. V. O.*

XV. Lege per se transigere prohibentur, qui rebus suis plene & perfecte prospicere nequeunt ut Impuberes, Prodigii, Minores *l. 1. de Curat. furios. l. pupillus 189. de R. J. l. 25. & l. 33. C. h. t.*

XVI. De Impuberibus quò dictum est *ex §. 9. J. de Inutil. stip.* restringendum est ad pubertati proximos. Quamvis enim hi consentire, quia intelligunt quò agunt, & per consequens transigere, possint, tamen ex illa transactione non obligantur Civiliter sed tantum Naturaliter, quò verum est etiamsi non sint locupletiores facti *l. 25. §. 1. Quando dies. leg. l. 64. in pr. ad Sct. Trebell. l. Novat. 1. §. 1. de Novat. & passim.* Quoniam autem eorum consensus infirmus est, & multis captionibus obnoxius *l. 1. pr. de Minorib.* ideo in *l. quòd pupillus 41. de condict. Indeb. & l. pupillus 59. de O. & A.* etiam natura debere negantur, nimirum quò ad actum secundum h. e. quò ad effectum illum, ut obligatio eis noceat. Constitutum autem hoc est favore solius pupilli, proinde si de tertio agitur cui Jura consultum non volunt, tunc pro obligato pupillus habetur hætenus ut accessoria obligatio quæ sine principali esse non potest, sustineatur, quò videre est in fidejussore pupilli qui efficaciter obligatur *l. si pupillus 127. d. V. O. l. Stichum 95. §. naturalis 4. de solut. & liberat.*

XVII. Prodigios intelligimus, qui tales sunt declarati à Magi-

stratu. Nam quamvis Ethicè & rei ipsius veritate, ille qui vitio prodigalitatē laborat, citra interdictionem talis sit. Politicè tamen & Juridicè ad eum effectum ut nihil ipse agere & contrahere, nec cum eo contrahi ab alio queat, requiritur ut à Magistratu prodigus declaretur, eiq; bonis interdicatur *l. his qui 12. pr. & §. 2. de tutor. & cur. dat. ab his. §. furiosi 3. f. de curat. §. 2. f. Quib. non est permīssum fac. test. l. 1. & 10. de curat. furios. l. contra 28. §. 1. de pact. l. furiosi 40. de R. f.*

XIIX. Minores curatorem habentes etiam uti dictum Lege prohibentur transigere, (1) Quia ob ætatem negotia sua genere non possunt *l. 1. pr. §. 1. & seqq. de Minor.* (2.) Jure quicquam prohibentur agere *l. in questione 13. §. 2. C. de sent. pass. & rest.* (3.) Ob *l. si curatorem habens 3. C. de in Integ. rest.*

XIX. Absolutè tamen hæ personæ Lege transigere non prohibentur, sed sub conditione, si deteriores suam conditionem faciant, ne quod in ipsorum favorem introductum est in damnum vergat. *l. contra Juris 28. pr. & §. 1. de pact. l. nulla Juris ratio 25. de Legib. l. non eo minus 14. in f. C. de Procur.*

XX. Qui autem transigere non prohibentur, vel suo vel alieno nomine transigunt, suo nomine Domini ad quos res transactionis pertinet. Alieno nomine transigunt qui rerum commissarum liberam habent administrationem, Conventione vel Lege concessam. *Obrechts. D. ad h. s. Tb. 24. & seqq.*

XXI. Conventione ut Procurator omnium bonor. Est autem Procurator vel Litis vel Bonor. Litis procurator tantum ad id datur ut agat, quod nō potest excedere & ad actus extrajudiciales venire inter quos est transactio, agere enim & transigere inter se pugnant, qui enim agit litem movet, qui transigit litem tollit *l. transactionis 7. C. h. t. l. sed si tantum 13. pr. de Pact. l. mandato 60. de Procur.*

XXII. Bonorum procurator, vel est Omnium bonorum, vel certi negotij. Hic nisi speciale habeat mandatum transigere nequit *l. 17. §. f. de Jurej.* Procurator autem omnium bonorum, aut cui generaliter libera bonor. administratio commissa fuit, transigere potest. Comparatur enim procuratori in rem suam & illi qui speciale habet mandatum *d. l. jusjurand. 17. §. f. de Jurej.* Illum autem transigere posse extra controversiam est *l. 13. §. 1. de Pact. l. 55. de Procur.* Deinde etiam potest

potest pacisci *l. 10. §. f. l. 11. & 12. de Pañ.* & alienare *l. procurator 58. de Procur. l. quæ ratione 9 §. 4. de acquir. rer. dom.* Debet tamen transigere ex fide & administrandi animo non fraudulenter & ambitiose *l. 60. §. ult. Mand.*

XXIII. Dist: hic Dd. communiter inter Procuratorem omnium bonor. simpliciter, & procuratorem omnium bonorum cum liberâ, quasi hic possit transigere, ille verò non. Quæ distinctio in Jure Civili fundata non est, nullibi enim videmus ista duo membra opponi, ut alius sit univerforum bonorum procurator cui libera bonorum administratio commissa, alius verò omnium bonor. procurator sine liberâ, sed promiscuè sumuntur, qui enim dicitur omnium bonor. in *l. 17. §. f. de Jurej.* ille in *l. 9. §. 4. de acquir. rer. dom* vocatur cum liberâ. Præterea etiam eadem est Procuratoris omnium bonorum de J. Civili potestas; ita tribuitur ei (1.) Exactio *arg. l. 10. §. f. l. 11. & 12 de pañ.* qui enim potest rem in Judicium deducere, & cui potest solvi is etiam potest exigere. (2.) Alienatio, quando utilitas mandatarij exigit *l. procurator 63. de Procur. l. 60. §. f. Mandat.* (3.) Solutio creditorum *l. vero procurat. 12. pr. & l. quodlibet 87. de solut.* (4.) Novatio *l. novare 20. §. 1. de Novat.* (5.) Jurisjurandi delio *l. 17. §. 3. Jurej.* Quoniam itaq; una & eadem est eor. potestas certè inter illos nulla erit differentia.

XXIV. Alieno nomine ex conventionione etiam transigunt Administratores & Syndici Universitatum *l. præses 12. C. de transact.* sunt enim instar procuratorum & intelliguntur semper cum liberâ potestate constituti *Wes. in par. Quod cujusq; universi n. 8.*

XXV. Lege liberam habent rerum commissarum administrationem Tutores & Curatores *l. tutor 27. de adm. & pericul. tut. l. 16. C. Eod. l. partum 22. C. de Pañ. l. 54. §. f. & l. 56. §. 4. ff. de furt.* Administrant autem si de re dubia & litè incerta transigunt, quia utilitatem pupillorum & adolescentium promovent. Utilius enim iis est, ut rem dubiam & litem incertam remittant, quam inconstantem litis aleam subeant, illic enim partem ejus quod in lite est reportant, hic plerumq; totius jacturam patiuntur. Res tamen alienari prohibitas à lege sine decreto judicis neq; per transactionem transferre possunt in alium *l. 4. C. de præd. minor. l. 22. C. de adm. tut. vel curat.*

XXVI. Vafallus quoq; habet jus & facultatem de feudo contro-  
verso etiam infcio Domino transigendi §. *si vafallus de beneficio* 2. F.  
26. & c. *si controversia* 2. F. 43. idq; procedit five decidendi five dimi-  
nuendi & dimittendi feudi gratia transigat, si modo b. f. absq; frau-  
dulento consilio illud faciat d. c. *si controversia* 2. F. 43.

XXVII. De re filij emancipati l. *de re filior.* 10. h. t. Peculio Ca-  
strensi vel Qs. Castrensi l. *ex castrensi* 18. §. 1. & seq. de castr. pec. l. *er-  
rat.* 3. C. Eod. Bonis adventitiis in quib filius habet usumfr. Nov. 117.  
c. 1. Bonis à Principe donatis l. *pen. C. de bon. qua lib.* Denique in eo  
quod propter injustum patris divortium filius consequitur Nov. 134.  
c. 11. in pr. patrem transigentem filio non obesse extra dubium est. In  
his omnibus enim pater nihil Juris ne administrationē quidem ha-  
bet d. l. *pen. & d. d. N N.* Præter hos casus potest pater licite transi-  
gere, etiam irrequisito filio, si ejus est ætatis ut non possit consenti-  
re vel peregrè absit, plus Juris enim pater in his bonis habet, quam  
tutor, non solum enim est legitimus administrator, verum etiam u-  
sufuctuarius, imò ad eum mortuo sine liberis filio proprietates per-  
venit, si autem consentire potest & præsens est requiritur ejus con-  
sensus l. 1. C. *de bon mater* l. 6. §. 2. l. 8. §. 3. & seq. C. *de bon. qua liber.*

XXVIII. Materia transactionis est res quælibet dubia & lis in-  
certa, neq; finita l. 1. h. t. nisi Natura vel Lege transactionem respuat.  
Dubia autem res putatur, ob dubium & incertum conditionis e-  
ventum l. *de fideicom.* 11. C. h. t. aut metum controversiæ l. *cum te pro-  
ponas* 2. C. h. t. l. in summa 65. §. 1. de condit. indeb.

XXIX. Natura sua transactionem respuunt Res Judicatæ l. *si cau-  
sa cognita* 32. C. h. t. quia tum non amplius res sunt dubiæ sed certæ,  
imponit enim res Judicata finem controversiæ & jus inter partes fa-  
cit executionemq; paratam habet l. 1. de re Jud. l. *debitoribus* 31. l.  
post. rem judicatam 56. Eod. Obtinent autem hæc quæ dicta sunt  
tum demum si certo constat rem Judicatam esse, nam si litis metus  
adhuc supersit quocunq; remedio suspensivo sententiam labefacta-  
ri posse, recte transactio interponitur l. 7. pr. & l. 11. ff. h. t. l. *elegantè*  
23. §. 1. de condit. indeb. l. 32. C. h. t. habetur enim interim quodam-  
modo pro extincta l. 1. §. ult. ad Sc. Turpil.

XXX. Controversiæ quæ ex testamento proficiscuntur Legis  
prohi-

prohibitione transactionem non admittunt, nisi inspectis cognitisque verbis testamenti, ratio est odium testamenta occultantium & inde lucrum captantium, publicè enim inter est exitum habere ultimas voluntates *l. i. C. de SS. Eccl. junct. t. t. ff. si quis aliq. test. prob. l. i. §. i. testam. quemad. aper.* captiosæ enim sunt tales transactiones eo que improbæ *l. de his controversiis 6 ff. b. t.* Accedit quod revera si quis profus ignarus contentorum testamenti de eo quod ipsi forte legatum dicitur, paciscatur, ea non transactio, sed simplex remissio sit, cum nec res dubia dici possit obligatio enim non ex facto meo sed alieno descendit. Et hæc adeo vera sunt ut ne partes quidem huic inspectioni renunciare posse videantur. Quamvis enim omnes licentiam habeant his quæ pro se introducta sunt renunciandi *l. si quis 11. C. de Ep & Cler. l. 29 C. de Pañ.* tamen non procedit quando renunciatio ista est contra jus commune *l. 7. §. 14. l. 27. §. 4. l. 38. ff. de Pañ.* vel jus aliquod non ad solius renunciantis sed potius alterius favorem introductum est, ut transactio hæc non tam propter legatarios quàm testatorem prohibita sit, cujus voluntatem exitum habere publicè interest *d. l. i. C. de SS. Eccl.* Hinc promanavit in Praxi cautela, nimirum ut valeat transactio semper faciendam esse mentionem testamenti & addenda verba, *Inspectis cognitisque testamenti verbis Gail. 2. O. 139. n. 10.*

XXXI. De alimentis etiam Lege transigere non licet. Sunt autem alimenta in duplici differentia aut enim sunt præterita aut futura, *l. cum hi 8. §. 22. ff. b. t. & l. 8. C. Eod.* de præteritis licitè transigitur *d. l. 8. C. b.* non enim amplius alimenta sunt, postquam vita aliunde in præteritum sustentata est, quia nemo in præteritum alii potest, sed potius purum & simplex debitum, super quo nihil causæ est cur non licitè transigatur.

XXXII. De futuris itaq; alimentis sine Prætorè transigere non licet *d. l. 8. in pr. & §. si Prætor 17. cum §. seq. l. eleganter 23 §. 2. de condiñ. Ind.* ratio est favor ultimar. voluntatum & conservatio Judicii testatoris *arg. l. i. C. de S S. Eccl.* Verisimile enim est testatorem legatario voluisse particulatim potius, quam summam aliquam pecuniæ simul præstari, ne consumptâ illâ pecuniâ postea esurire cogatur *arg. l. 15. de ann. leg.* Potestas autem arbitrandi an & quando  
trans-

transactio super alimentis relictis admitti debeat, oratione D. Marci specialiter data est Prætori & Præsidi *d. l. 8. pr. & §. 1. h. t.* ut proinde mandari non possit *§. 18. d. l. 8.* Habet tamen hæc prohibitio limitationem (1.) Si conditio alimentor. fit melior *§. 6. d. l. 8.* Alter casus casus est in *§. ult. d. l. latis* enim fit voluntati testatoris. Pertinent autem hæc tenus dicta ad alimenta ultima voluntate relicta vel mortis causa donata *pr. §. 1. & 2. d. l. 8.*

XXXIII. De alimentis ex contractu debitis aliud statuendum. Cessant enim hęc rationes prohibitionis, videl. favor ultimar. voluntatum & conservatio iudicij testatoris. Præterea etiam testamento relinquuntur alimenta ut alimentario consulatur, in contractibus autem non ea est contrahentium providentia, sed promissor potius sibi consulit quam alimentario divisis pensionibus *d. l. 8. §. 2. in f. h. t. l. eum 15. de ann. legat.*

XXXIV. In causa matrimoniali tantum pro matrimonio fieri posse transactionem patet *ex C. f. X. de transact.* quod tamen tantum procedit in sponsalibus de præsentis non de futuro, de his enim, ut quæ non transeunt in matrimonium mutuo dissensu recedi potest *C. 2. X. de sponsal. & matr.* De bonis etiam Ecclesiasticis quia simoniæ speciem continent transigi non potest *C. constitutus 4. C. super. 7. & C. præterea 9. X. de transact.*

XXXV. Ex hæc tenus dictis videre est Objectum transactionis esse causas Civiles & quæ patrimonium cujusvis & interesse proprium concernunt, de quibus cuiuslibet disponere licet, mirum ergo prima facie videri possit quod in criminibus capitalibus quor. persecutio non privata sed publica est transigere posse dicatur in celebri illa & multorum Dd. commentariis illustrata *l. 18. C. de trans.* pro cuius meliori intellectu duo præcipue sunt notanda. (1.) distinctio criminis in Publicum & Privat. (2.) Quod duæ in ea contineantur regulæ. Publicum crimen dicitur quod tale est ratione causæ Efficientis & Finis h. e. quod lege aliqua speciali relatum est inter publica Judicia & persequitur læsionem Reip. Aliàs latè etiam sign. illud, cuius persecutio cuiuslibet de populo permittitur, quo sensu etiam popularia Judicia dicuntur publica *l. eum qui 30. §. 3. de Jurej.* sed ita hoc loco non sumitur *l. 1. & 2. de Publ. Jud.* Privatum est quod non est relatum inter publica Judicia, sed jus privati persequitur *l. meminisse 92. de furt.*

XXXVI. Prima hujus L. regula est; De criminibus capitalibus cujus poena mors est, seu per quod caput non è civitate sed medio hominum tollitur, transigere licet, excepto adulterio. *l. in capitalibus. 1. de bon. eor. qui ant. sent. l. in omnib. 7. de Prævar. l. 4. de Pæn. l. ult. §. f. de Jud. & cælic. ratio constituti Juris est, quia ignoscendum censuerunt Imp. ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit, potius enim gravitate periculi territus, quam conscientia sceleris transigisse præsumitur d. l. 1. de bon. eor. Quamvis autem per ejusmodi transactiones lædi Respub. videatur, cum ejus inter sit atrocitas & capitalia delicta puniri l. ita vulneratus si. ad L. Aquil. tamen per transactionem hanc impunitas delictorum non fovetur, quia etiam de eodem crimine accusare cuivis de populo permittitur in §. 1. l. de Publ. Jud. l. Prætor ait 3. §. 10. de sepul. viol. l. qui cætu. §. §. f. ad l. Jul. de vi publ. Commune enim hoc est omnibus pactis & transactionibus ut personas paciscentium non egrediantur aut alii præjudicent l. si unus 27. §. 4. in f. de Pact. l. 2. C. res int. al. act.*

XXXVII. Excipitur ab hac regula crimen Adulterij in d. l. 18. & l. 10. C. de adult. Qui enim de adulterio transigit fidem conjugij nequiter corrumpit & propterea incidit in crimen lenocinij l. ex l. Jul. 2. §. 2. l. qui domum §. ad l. Jul. de adult. l. miles ii. pr. & §. 3. l. is cujus ope 14. Eod. cujus facinoris auctores noluerunt videri Imp. in d. l. 18. ne inde nasceretur injuriar. occasio, unde Jura nasci debent l. meminervint §. pr. C. Unde vi. Præterea hic militat favor matrimonij ne facile ex ignobili & sordido patre generosis & splendidis familijs, liberi inserantur arg. l. super statu 9. C. de Quest. Majore etiam cum incommodo celantur adulteria quam cætera crimina publica, quæ ne celentur publicè interest l. 1. §. sed etsi 13. de Ventr. In sp. l. §. §. f. ad l. Jul. de vi publ. Unde Giph. ad hanc L. dicit: Viri honesti est mori potius quam de violata castitate transigere, & in ea suspitione vivere, cum post transactionem semper suspicio criminis maneat.

XXXVIII. Secunda d. l. regula est; In aliis publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt transigere non licet, citra falsi accusationem. Cessat enim hic periculum capitis & sanguinis eoq; excusationem transigentes non merentur, sed reus corrupens adversarium pretio, pro victo & confesso habetur *l. f. de præv. l. in fisci 4. de Jur. fisci.* & actor vendens ac nundinans iudicium publicum prævariari ac columniari *d. l. f.* Constat enim quod delicta non sint habile objectum transactionis cessante nimir. miserationis ratione *ex l. 1. de bon. eor.*

XXXIX. Adduntur reg. secundæ in fin. verba, citra falsi accusationem, unde maxima orta est controversia de sign. vocabuli *citra* quod dupliciter secund. Dd. in Jure sumitur, propriè & frequentissimè pro sine *l. f. de publ. Jud. l. prior emptor 20. de in diem addict. l. ut sit 31. pro socio & pass.* Rarò Exceptivè pro Præter: Vix autem extare puto exemplum verbi *citra* exceptivè usurpari, nec apud bonos Authores nec in Jure nostro & proinde etiam hoc loco prop. usurpari. Non enim facilè est recedendum à proprietate vocabuli, præfertim cum constet authores hujus Leg. Diocl. & Maxim. semper hac voculâ uti privativè pro sine, nunquam autem exceptivè pro præter *l. si ex pretio 6. C. si cert. pet. l. si pretium 19. C. de Procur. l. nullo justo 24. C. de reivind. l. cum citra 15. C. de Jur. dot.* ut sit sensus reg. secundæ, in publicis criminib. quæ mortis pœna non afficiunt, sine falsi accusatione transigi non potest. Actor enim transigens cum eo comparandus videtur, qui ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium aut iudicium pecuniam accipit *l. 1. §. 1. ad l. corn. de fals.* Reus autem accusatorem corrupens cum eo qui iudicem corrumpit *d. l. 1. §. 2. & l. qui duob. 21. Eod. tit.* Locum enim habet L. Corn. non tantum in falso sed etiam in qs. falso *l. 1. §. f. d. t.* Quamvis autem hæc explicatio voc. *citra* sit verissima, tamen *monente Bach. ad h. t. c. 2. n. 16. in f.* contra communissimam & tot sæculis sine controversia receptam opinionem contrariam nunquam prævalebit.

XL. Et hæc de sententia hujus Legis, cujus major usus olim fuisse

fuisse videtur quàm hac nostrâ ætate, eò quod Criminum Accusatores olim Romæ fuerint privati, cum hodie sint publici ut Procuratores Regij aut Fiscales *Giphon ad h. l. in fin.*

XLII. De privatis criminibus seu potius delictis transigere prohibitum est post litem contestatam §. 2. *l. de pæn. tem. lit. l. 4. §. f. de his qui not. inf. l. 18. C. Eod.* Pro confessio enim habetur, qui post litem contestatam transigit, quia nemo præsumitur suum jactare. *l. 5. de his qui not. inf.* Quod si verò lis nondum est contestata, valet transactio, Judicium enim prop. loquendo inchoatur à litis contestatione *l. 15. rat. rem hab.* ut proinde non possit dici confessio Judicialis, sed extrajudicialis quæ nullius est momenti *l. 17. §. 1. de Pact. l. 25. §. 8. de Edil. Edict. l. 56. §. 4. de furt. l. 13. C. Eod.* Secus est si privatum delictum criminaliter est intentatum, quamvis enim maneat privatum delictum, tamen ab accusationibus criminaliter intentatis non licet desistere *l. 1. §. 7. & §. 13. l. 6. pr. & l. 7. §. 1. ad SCt. Turpill.*

XLIII. Forma transactionis alia est Substantialis alia Accidentalis Substantialis quæ non potest abesse est remissio rei dubiæ & contra præstatio seu promissio. Fit autem præstatio illa per certos modos transigendi de quib. *sup. th. 9. & seqq.* dictum. Ratione objector forma substantialis est, quæ requiritur in certis subjectis, ut in alimentis & transactione super reb. immobilib. pupilli, est causæ cognitio Vid. *sup. th. 25. & 32.*

XLIII. Accidentalis forma varia est. Quædam enim fit purè, quædam sub conditione, Purè fit quæ neq; die neq; conditione suspensa est. Sub conditione quæ conditionis vel diei adjectione suspensa est. *l. 9. C. h. t.* Quædam fit accedente scripturâ, quædam sine scripturâ *l. 1. l. 28. in pr. C. h. t.* Quædam in Judicio quædam extra Judicium *d. l. 28. C. h.*

XLIV. Finis & scopus, ultimus ad quem dirigitur transactio est ut rebus dubiis vel litibus incertis finem imponat. Deinde ut quis obligetur ad dandum aliquid vel faciendum *l. 1. h. t. l. fratru tuè 20. C. Eod.*

XLV. Effectus transactionis varii sunt ac multiplices. Primus tamen & præcipuus, quod rebus ac litib. incertis finem imponat.

*l. causas 16. C. h. t.* Hinc transactio non minorem auctoritatem habere dicitur quam res iudicata *l. non minor. 20. C. h. t.* ita ut quemadmodum res iudicata finem controversiæ imponit, sic quoque transactio lites finiat atq; decidat.

XLVI. Ideo si actor contra transactionem fecerit succurritur reo vel ipso Jure, vel ope Exceptionis. Ipso Jure succurritur reo, si acceptilatione factâ transegit, quæ statim finit litem, & reum ab ea plenè liberat *l. actione 4. C. h. t. l. si causa cognita 32. C. Eod. l. 2. & 3. C. de Accept.*

XLVII. Ope verò Exceptionis si pacto facta est transactio, tum enim, quoniam ipso Jure non est sublata actio, Prætoris beneficio exceptio interponitur *l. 28. C. h.* per quam idem potest consequi ac si ipso Jure liberatus esset *l. nihil interest. 112. de R. I.* Tutius tamen videtur ipso Jure liberari, quam per exceptionem defendi. Nam illic non opus est exceptionem opponere, ubi enim quid ipso Jure inutile est, ibi cessant Prætoris partes *l. in causa 16. pr. & § 2. de Minor.* Hic autem adò necessaria est objectio exceptionis ut reus causâ cadat si omittatur *l. posthumus 6. §. si quis. de Inoff. Test.*

XLVIII. Ad transactionis Effectum etiam pertinet, quod lis ac controversia semel legitimis transactionib. finita, facilè ac temerè refarciri non debeat *l. interpositas 13 C. h.* Idq; in tantum verum est, ut causæ vel lites transactionib. legitimis finitæ ne quidem Imperiali rescripto resuscitari possint *l. causas 16. C. h. t. l. rescripta 7. C. de prec. Imp. off.*

XLIX. Non solùm autem privati ex transactione obligantur sed & ipsi Principes & eorum successores, etiam si cum subditis sit inita, secund. vulgatum enim Dd. axioma, In contrahendo Principes utuntur Jure privatorum, imò efficacius videntur obligari, tantum enim valere debet ad fidem Principum verbum, quam privator. hominum Jusjurand.

L. Est & hic transactionis Effectus, quod is qui litem remisit, possit experiri adversus eum cui remisit, ut det vel faciat quod transactionis nomine promisit, & quidem si adjecta est stipulatio, tunc ad implendam transactionem competit actio ex stipulatu, si verò

verò impleta est & dolus subest datur actio de dolo *l. 4. l. 17 C. h. t.*  
 Si verò per contractum Innominatum transactum est, oritur actio  
 Præscriptis verbis *l. cum mota 6 l. si profundo 33. C. h. t.*

LI. Quod si verò pacto transactum est, & reus non implet  
 transactionem, potest actor experiri actione pristina, pacto enim  
 non fuit sublata. Si verò impleta est, & dolus subest agitur qui-  
 dem etiam actione pristina, ita tamen ut replicatione doli exceptio  
 transactionis removeatur *l. sub prætectu 19. l. si ve ap. 28 C. h. t.*

LII. Contraria sunt modi quibus transactio resolvitur: Com-  
 modissimè autem hoc fieri potest utriusq; partis voluntate *l. si di-  
 versa 14. C. h. t.* nihil n. tam naturale est quàm eo genere quidquam  
 dissolvere quo colligatum est, uti itaq; mutuo consensu produci-  
 tur ita rectè quoq; dissolvitur *l. nihil tam naturale 35 de R. J.*

LIII. Si quoq; post transactionem evidens actoris calumnia  
 detegitur, nulla redditur *l. in summa 65. §. 1. de condiç. ind.* Idem  
 quoq; obtinet cum ex falsis instrumentis etiam jurato inita fuit  
*l. si ex falsis 42. C. h. t.* qui enim ita transigit non tam transigit  
 quàm decipitur *l. qui cum tutorib. 9. §. 2. h. t.*

LIV. In errore disting. est, aut enim super errore transactum  
 fuit, & servanda erit transactio *l. un. C. de err. calcul.* aut in tran-  
 sfigendo error est commissus, & si alter vel uterq; transigentium  
 falso putavit litem subesse, quæ nulla erat, nihil actum intelligen-  
 tur, neuter enim vult id quod facit, sed uterq; vult quod non fa-  
 cit, unde Ulp. asserit nihil tam contrarium esse consensui quàm  
 errorem *l. si per errorem 15. de Jurisd.* si verò quæpiam fuit vel fu-  
 tura metuebatur, sed causa litis media nulla erat, consistit trans-  
 actio *l. 65. §. 1. de Condiç. Ind. l. cum putarem 36. fam. ercise.*

LV. Dolum quod attinet, videtur dist. esse inter dolum adver-  
 sarii, extranei & proprium. Si adversarii dolo transactum est, va-  
 let quidem transactio ipso Jure, sed doli exceptione infringitur,  
 si actio aliqua superest *l. sub prætectu 19. l. 28. C. h. t.* si verò nulla  
 superest actioni de dolo locus est *l. 4. §. d. l. 19. Eod.* Si dolo extra-  
 nei, valet transactio, mutuo enim consensu & b. f. est inita, contra  
 extraneum autem datur actio doli *arg. l. §. eleganter 7. pr. de Dol.  
 mal.* Deniq; si dolo prop. valet transactio si velit ille qui patitur  
*l. transactione 30. C. h. t.*

LVI. Deniq; & metus transactioni contrarius est, non quidem ipso Jure, nam & id quod metu fit spontè fit, adeoq; tales actiones mixtas appellat *Aristot. 3. Eth. c. 1.* magis tamen ad voluntarias quam involuntarias inclinantes, qui enim metu cogitur nihilominus consentit, quamvis non simpliciter, sed ob certum finem eodem modo ut is, qui merces tempore tempestatis eicit, consentit quidem, sed ob certum finem, ut vitam salvam habeat. *l. si mulier 21. §. ult. Quod met. caus.* Succurritur autem ei qui ita transegit per restitutionem in integrum *l. interpositas 13. C. h. t. l. 1. ff. Quod met. causa.* Non tamen hoc de omni metu intelligendum est, sed tantum de illo qui fit contra bonos mores *l. continet 3. Quod met. causa* & cadit in virum constantem, ut metus mortis, cruciatus corporis aut servitutis *d. l. interpositas 13. C. h. t. l. 6. §. 1. Quod met. causa l. vani timorù. 184. d. R. 7.*

LVII. Hic incidenter non planè abs re quaritur: Sitne Transactio Passaviensis Pontificiis vi extorta! Quod negand. esse putamus. Metus enim æstimatur ex personæ cujusq; qualitate & rerum circumstantijs, jam verò constat, Carol. V. constantissimum ac potentissimum fuisse Imp. Præterea etiam ex verbis dictæ transactionis notum est, non vi aut dolo à sacratissimo ejus Autore extortam esse, sed flagrantib. Germaniæ summis & extremis necessitatibus, præviis maturis deliberationibus & consultationib. ex vero paternoq; affectu in communem nostram patriam, scienter & libenter constitutam. Tandem in Comitij August. anno 1555. primum robur suum est adeptæ, in quibus nulla vis seu metus locum habere potuit, depositis undiq; armis. Non autem competere constat restitutionem metus causa, cum quis cessante metu ratum habuerit metus causa gestum. *l. item si cum 14. §. post ann. Quod met. causa.*

LVIII. Pœnitentia utrum transactioni contraria sit dubitatur? Dd. communiter negant per *l. quamvis 39. C. h. t. & l. cum mora 6. Eod.* quod ita constitutum est favore minuendar. litium, interest enim Reip. lites non oriri, ortas autem tolli, nec sublatas redintegrari.

LIX. Bene-

LIX. Beneficium quoq; l. 2. C. de rescind. vend. in transactione locum non habere verius est, per l. causas 16. C. h. t. ubi dicitur; Imperiali rescripto lites transactione sopitas resuscitari non oportere, quod si verum est de speciali & noviter impetrato rescripto, multò minus generali & alio de casu edito rescindi potest. Deinde etiam qui opem implorat d. l. 2. ei incumbit ostendere tempore contractus læsionem fuisse certam l. 8. in f. C. de rescind. vend. transactio autem fit de re dubia & lite incerta, quomodo ergò incertæ rei certa potuit esse æstimatio? l. ubi autem 75. pr. d. V. O. Præterea etiam in dubiis non solet considerari læsio l. i. C. h. t. l. si ea lege 17. C. de Usur.

LX. Affinia maximè transactioni sunt, Pactum l. i. C. pass. ff. C. h. t. vid. sup. th. s. Compromissum Wes. h. t. n. 8 Res Judicata l. non minor. 20. C. h. t. Jusjurandum l. i. l. admonendi 31. ff. de Jurejur. Plura de nobilissimâ & amplissimâ transactionum materia adferre præscriptis disputationibus Juridicis medus non patitur, proinde hic subsistimus DE O T. Opt. M. ingentes grâtiâs habentes.

---

## COROLLARIA POLITICA.

### I

**I**N distinctione Rerump. abstrahenda est Rerump. pub. Essentia à bonitate vel vitio earum, consistit autem Essentia Reipub non in paupertate & divitiis, sed in personarum numero qua ad potestatem summam admittuntur. Quando enim unus summe potestati præest oritur Monarchia, quando pauci Aristocratia, quando verò major pars civium, Democratia seu potius Politia prop. dicta.

### II. In

## II.

In comparatione harum, palma danda est regno seu Monarchia, non tam propter vetustatem & quod ex natura ductu consistat, quam quod non subjaceat intestinis dissidiis, & consilia possint haberi secreta, quod magnam Reipub. munimentum est.

## III.

Modi legitimè & Ordinariè perveniendi ad eam exclusâ sorte sunt Electio & Successio.

## IV.

Electio autem an successio in regno potissimum sit probanda, ardua questio est. Nos Electionem successioni preferendam esse putamus. Per electionem enim ritè institutam semper possumus idoneum ac optimum accipere regem, successio contra sapissime offert malum & ineptum.

## V.

Tutum aut utile Imperio minimè est fœminas ad regni gubernacula elevari, ad parendum enim sunt natæ non ad imperandum, quæcumq; enim ad imperandum requiruntur natura iis negavit & ex contrario, quæ ad obedientiam pertinent, iis insevit.

JURIS

## JURIS PUBLICI.

### I.

*In Romano-Germanico Imperio Electio major. imitatione laudabili recepta est & etiamnum viget ita ut unice per eam quis ad Imperium provehi possit.*

### II.

*Locus est Electioni quoties evenit vacare Imperium quod contingit. (1) Morte Imperatoris. (2.) resignatione in manus Elector. facta (3) si propter gravissimas causas ab Imperii gubernaculis Imperator ab Electoribus removeatur.*

### III.

*Constitutio Religionis in Comitibus Augustanis Anno 1555. communi Elector. Ordinumq; S. Rom. Imperii consensu promulgata per famosum istud Concilium Tridentinum sublata non est, sed in pristino suo adhuc persistit vigore.*

### IV.

*Civitates juxta modernum S. Romani Imperii statum rectissime dividuntur in Civitates Imperiales, Municipales & Mixtum statum obtinentes, ita ut certis casib. & conditionibus Principes recognoscant, in reliquis vero respectu privilegiorum à Caesaribus & Imperio obtentorum atq; regalium & meri Imperij quæq; his coherent Juribus suam tueantur immunitatem.*



*Ad Doctissimum Dn. Respondentem.*

**C**um tibi non placeat protractio litigiorum,  
Ostendis, quî quis tranfigat: ergò sapiis,  
*scrib.*

PRÆSES.

---

*Præstantissimo Domino*

**HERMANNO MASHNER**

*è Saxonibus Brunsvicensi De Transactionibus disputanti,*

**R**estalis, nullus quam non desiderat, aurum est:  
*Insere ei gemmas, gratius istud erit.*  
*Vita tibi est aurum gemma doctrina MANERE*  
*Hac ornare illam pergito, magnus eris.*

*Amico & convictori meo scrib,*

**JOHAN GETEL, J.D.**


---

**Q**uid magis exoptat mundus, quam tempora Pacis,  
*Et quo frangantur militis arma diem?*  
*Quid magis expetitur, quam lux, TRANSACTIONIS amica,*  
*Quâ lites sedans corda reconciliet?*  
*Hinc HERMANNE tibi merito TRANSACTIONIS præbet*  
*Materiem, de qua differuisse juvat.*  
*Gratulor atq; precor felix sit ut omen, ubiq;*  
*Publica promoveas commoda, priva juves.*

*Ita Præstantissimo ac Doctissimo Dn. Respondenti, Amico ac Commensali suo charissimo gratulabatur*


**Johan von Winthelmb**  
Hannov.

\*\*\*\*\*





the scale towards document



quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo co-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, adjumeto intercessionu, quas  
 te impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniae  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 poenam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publice jactaverat, quem postea  
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata a *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quae notissimum est illud Plau-  
 pta forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut e bello rever-  
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4